



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio LXXXIV. De ritibus Missæ, qui in actione consistunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

nam priuati sufficit, vnum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona sacerdoti plurimuliter responder.

DISPUTATIO LXXXIV.

De ritibus Missae, qui in actione consistunt.



Vo tantum in hac disputatione tractanda sunt: primum de conuenientia & ratione harum caeremoniarum: secundum de obligatione exercendi illas & quomodo in hac re peccari possit.

SECTIO I.

Vtrum caeremonia Missae, qua in actione consistunt, conuenienter sint ab Ecclesia instituta.

In hac dubitatione idem sentiunt haeretici, quod de alijs caeremonijs: neque aliquid noui afferunt: & ideo a nobis praetermittendi sunt. Vt ergo hanc rem breuiter expediamus, oportet eas ad pauca capita reuocare, sicut alijs locis fecimus.

Primo ergo quaedam ex caeremonijs Missae inducenda sunt solum, ut hoc sacrum mysterium debita honestate modestia, ac reuerentia peragatur: vnde constat, huiusmodi caeremonias non solum conuenientes, sed moraliter etiam esse necessarias: & ideo summa prudentia esse ab Ecclesia institutas: Exempla sunt quam plurima in Romano Rituali, ut verbi gratia, quod sacerdos, antequam vestibus sacris induatur, lauet manus, ad quandam decentiam spectat. Item, quod incedens ad altare, procedat oculis demissis, ingressu graui, erecto corpore, propter modestiam, & decetem grauitatem, praescriptum est. Simile est in multis alijs caeremonijs, ut, verbi gratia, quod, dum seipsum manu dextera signat, sinistram ponat sub pectore solum ordinatum videtur, quia ille est decetior modus e contrario vero, quod, dum benedicit oblata, manum habeat super altare, maiorem habet ad illam actionem commoditatem, & vnitatem. Rursus interdum aliquid huiusmodi praescribitur, ut actio locutioni conformis sit, quod etiam pertinet ad decorem quandam: ut, quod sacerdos pectus suum percussit, cum dicit (Mea culpa) quod iungat manus, cum dicit, In vnitatem Spiritus sancti Deus, vel, Per Dominum nostrum Iesum Christum. Quod et eleuet, cum dicit (Sursum corda.) Quod benedicturus, aut salutaturus populum, ad illum conuertatur: & sic de multis alijs, quae, si recte ponderentur, nihil aliud continent, quam commodum modestum, ac prudentem operandi modum. Vnde quoad hanc partem hic ritus fundatus est in illis verbis Pauli, prima ad Corinth. 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis: & ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui: tum quia, si haec relinquerentur vniuersi cuiusque arbitrio, multa indecore & imprudenter fierent: tum etiam, qui existimavit Ecclesia in tam alto & sacro ministerio nihil esse leue existimandum, quo minus maxima decentia & grauitate fiat: vbi optime quadrat illud Cypr. in expositione orat. Domin. Placendum est diuinis oculis, etiam in habitu corporis. Denique quia haec vniuersitas, quae in his omnibus seruatur, ad splendorem officij Ecclesiastici spectat, & vnitatem Ecclesiae commendat, & Pastorum eius curam ac sollicitudinem. Cuius exemplum habemus in Paulo 1. ad Corinthios 11. & 14. vbi praecipit, ut mulieres taceant in Ecclesia: ut orent velato capite: viri autem non velato: item huiusmodi est illud: Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: & si quis esurit, domi manducet: & postea concludit: Caetera autem, cum venero, disponam: vti quae similia, & ad eundem ordinem perti-

nentia: ergo de huiusmodi rebus disponere, & in eis ordine ponere, ad prouidentiam Ecclesiae pertinet.

Secundo sunt aliae caeremoniae institutae per se primo propter exteriores actus laetitia exercendos, quae etiam conuenientissime institutae sunt. Exempla sunt quam plurima: ex his enim caeremonijs quaedam ordinantur ad Deum adorandum & colendum, ut est, capitis aut corporis inclinatio, aut genuflexio, & similes, quae reuerentiam, & animi subiectionem demonstrant: & ideo, quodammodo ex natura rei, accommodatae sunt ad colendum Deum, quem non tantum interiorius, sed etiam exteriorius per actiones corporis esse nobis adorandum, alibi latius ostendimus. Vnde de Christo Domino legimus, genibus positus, orasse ad Patrem: & huc etiam spectat manuum, vel oculorum eleuatio, quam in oratione commendat Paulus 1. ad Timoth. 2. & saepe Scriptura, iuxta illud, Psal. 141. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum: & de Christo saepe legimus, leuasse oculos in caelum ad orandum, vel gratias agendum Deo, Ioan. 11. & 17. Idemque in hoc ipso mysterio fecisse constat ex Canone Missae, & ex his, quae supra diximus. Denique huc etiam spectat, quod sacerdos sit discooperto capite, dum Deo sacrificat: nam hoc etiam reuerentiae & humilitatis signum est. Vnde Tert. in Apol. c. 30. dicit: Christiani illuc (id est in caelum) suspicientes manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus peccantes sumus. Aliae vero ex his caeremonijs ordinantur ad cultum Sanctorum, ut inclinatio capitis ad nomen Sancti, quod in oratione profertur, &c. Aliae ordinantur ad imaginum, aut rerum sacrarum venerationem ut inclinatio capitis ad crucem vel imaginem, reuerentia ad altare: osculum altaris, Missalis aut patrenae, & similia: de quibus satis dictum est supra, de adoratione tractando. Aliae denique spectant ad reuerentiam, & adorationem ipsiusmet sacramenti: ut est genuflexio coram ipso, tuno pectoris cum illa oratione, Agnus Dei, vel, Domine non sum dignus: & huc etiam spectat antiqua illa caeremonia eleuandi sacramentum statim post consecrationem, ut ab omnibus adoretur: de qua supra, disputatione 67. sectio. 1. dictum est. Item, ad hoc genus spectat summa diligentia, quae adhibetur per tractando hoc sacramentum, ne quid illius decedat, ut, non disjungendo digitos, & caute purificando vasa: de quibus D. Thoma hic, ad 5. & 10. Cum ergo hi omnes sint actus verae religionis, constat, conuenienter esse ab Ecclesia ordinatos & institutos. Neque in his omnibus aliquid superfluum ostendi potest, si debita intentione fiant, prout ab Ecclesia institutum est: ut fiant, & in superioribus est declaratum: de varijs generibus adorationum tractando.

Tertio sunt aliae caeremoniae, quae specialiter sunt propter significationem institutae, non quod non pertineant etiam ad ornatum: neque quod cultum etiam aliquem non contineant: sed, quod principaliter propter significationem ordinatae sint. Haec autem significatio duplex distingui potest, ut in similibus saepe visum est in superioribus: vna est moralis, alia mystica. Prior communis est omnibus caeremonijs secundo loco numeratis: nam esse signum morale nihil aliud est, quam esse id, quo exterius indicamus bonum interioris animi motum seu affectum: omnis autem adoratio exterior, est signum interioris reuerentiae & affectus: & ita de caeremonijs habentibus hanc solam significationem, nihil in speciali dicere oportet: solum de aliquibus, quae insigniores esse videntur, pauca notanda sunt. Prima ac praecipua est eleuatio panis & vini consecrati; oculis & manibus ad Deum eleuatis: quae caeremonia est valde vsitata in sacrificijs: ut patet. Levit. 8. & c. nam est aptissima ad significandam oblationem, quae fit Deo, & qua homo se totum Deo offert, per sacrificium est. Secunda est, tuno pectoris, quae signum

Tit. 4 est ve-

1. ad Corin. 14.

Cyprian.

1. ad Tim.

Tertul.

D. Thom.

est veluti naturale interioris contritionis: nam & publicanus ille percutebat pectus suum, Luca 18. & capite 23. Alij reuertebantur percutiones pectora sua. Vnde August. Psal. 146. Significamus, nos cor cōterere, vt à Domino dirigatur: & lib. 50. Homiliar. Homil. vltim. c. 3. Quotidie tundimus pectora, quod nos quoq; Antiflites ad altare assidentes cum omnibus facimus: & Nicolaus I. ad consult. Bulgar. capit. 54. Pectus percutebat signantes, quod nequiter egimus, displicere nobis. Tertia cōtemonia est, osculum quod sub duplici significatione morali datur in Missa. Vna est significatio reuerentia: & hoc modo osculatur sacerdos sacras vestes, cum illis induitur, altare in principio: & in fine Missae: & Missae, finito Euangelio: & minister vel diaconus osculatur manum sacerdotis.

Nicol.

Alia significatio est amoris, vel benevolentia: & huiusmodi est osculum pacis, quae est antiquissima caeremonia, vt constat ex antiquis Liturgijs, & ex Cyrillo. Catech. 5. Mystag. Chrysothomo, Homil. 77. in Ioannem, & lib. 1. de Compunct. cordis: & Hom. de Prodit. Iudae, & 51. ad Populum: & ex Terulliano, libro de Oration. capit. vlt. Iustin. Apolog. 2. Dionys. de Ecclesiast. Hierarchia, capit. tertio. Qui omnes explicant, hoc signo iudicari animorum consensionem & vnitatem. Vnde, quamuis Innocentius I. epistola prima, capitulo primo, aliam significationem assignet: scilicet pacis osculum dari post confecta mysteria, vt appareat, populum ad omnia quae in mysterijs aguntur, suum praebuisse consensum: non tamen excludit priorem significationem, quae maxime propria atque moralis videtur. In quacunque autem harum significationum, est haec caeremonia aptissima: & ne aliquid indecentiae continere videatur, cautum est: vt viri laici laicos, feminae feminas oscularentur, vt est apud Clementem, libro 3. Constit. capitulo 11. iam vero, quia malitia nimium excreuit, & charitas refrigit, osculum non proxime datur oris tactu, sed media imagine,

Cyrillus.

Chrysoth.

Terullian.

Iustinus.

Dionys.

Innocent. I.

Gabriel.

aut alia re sacra: de quo Gabriel, lectione 81. in Canonem.

Alia significatio harum caeremoniarum est mystica: de qua etiam ex supra dictis satis constat, per se loquendo, licet esse, & conuenientem, si debito modo fiat: nam homines his sensibilibus signis mouentur ad spirituales cognitionem, vel considerationem. In particulari vero, prima caeremonia in hoc genere esse videtur: mistio aquae & vini, de qua satis dictum est supra, cum de materia remota huius sacramenti ageremus. Secunda est manuum seu digitorum ablutio: bis enim sacerdos manus abluere praecipitur. Primo ante Missam, cum accedit ad vestes sacras induendas: & haec ablutio primario ordinatur ad munditiam corporalem ipsarum manuum, quae etiam necessaria est ad decenter tractandum hoc sacramentum: & de hac loqui videtur Chrysoth. cum dicit, Hom. 61. ad popul. Dic mihi, illoris manibus, ad sacrificium eligeres accedere? Non puto. Nec tamen ab illa ablutione excluditur spiritualis significatione: & ideo illi adiungitur oratio, qua spiritus & corporis munditia postulat ad digne ministrandum ac seruendum Deo. Altera ablutio est, de qua nunc agimus: quae fit post priorem oblationem ante sacrificium, de qua tractans Cyril. Catech. 5. mystag. expresse dicit, non esse ad abluendas corporis sordes, sed in symbolum, oportere nos à peccatis omnibus mundari. Additque Dicitur Thomas hic ad 1. non integras manus, sed digitorum summitates abluere, ad significandum, non tantum grauiora: sed etiam leuissima peccata esse tollenda, quod sumprum est ex Dionys. c. 3. de Ecclesiast. Hierar. vbi huius ablutionis, & significationis eius expresse meminit, & Clemens lib. 3. Constit. cap. 15. & eadem caeremonia reperitur in antiquis Liturgijs. Tertio loco numerari potest illa manuum extensio, quae fit super oblata, dum re-

Chrysoth.

Cyrillus.

D. Thom.

Clemens.

citatur illa oratio. Hanc igitur oblationem seruitutis nostrae. &c. de qua nihil in particulari dictum reperio, neq; in antiquis, neq; in recentioribus authoribus, quamuis plures consulerim. Vnde non videtur intellexisse, continere singularem aliquam significationem mysticam, sed solum grauem quandam & reuerentem demonstrationem sacrificij, correspondentem illi signo demonstratio (Hanc igitur.) Adde vero possumus, illam esse veluti quandam manuum impositionem, per quam significari solet: quia ergo in illa oratione peculiariter postulat haec pectus diuina per eam oblationem, ideo sacerdos, dum ita orat, veluti manus imponit super oblata. Vel etiam significatur, sacrificium hoc esse holocaustum & hostiam pacificam ac pro peccato sufficientissimam ad placandum Dominum, praefiguram, Leuit. 1. 3. & 4. vbi de holocausto dicitur, quod sit masculum immaculatum, Ponetq; manus super caput hostiae, & acceptabilis erit. Quarto loco numerari possunt omnes illae caeremoniae, quas sacerdos in ipsa consecratione, ad Christi imitationem facit, accipiendo panem & calicem in manus, eleuando oculos in caelum, & benedicens oblata: nam his omnibus significari intenditur, sacerdotem induere Christi personam ad conficienda mysteria seu factum Christi imitari. Solum est obseruandum, in huiusmodi actione, quantum fieri potest, opere ipso imitari sacerdotem, quod verbis profert: id tamen non potuit in omnibus seruari, neq; semper cum perfecta similitudine, sed cum proportione: cum enim dicit, Eleuatis oculis, & Accipit panem, vel calicem in manus, potest haec ad literam imitari, atque ita facit: cui autem dicit (Benedixit) certum est, non imitari ad litteram Christi factum: nam Christus non fecit signum crucis super panem, vel calicem sicut facit sacerdos: imo, cum non confiter, qualis fuerit illa benedictio Christi, non potuit eadem à sacerdote exerceri: fit ergo cum quadam proportione, vt modo meliori magisq; sacro ac religioso vsu benedictionis, quem nunc habemus, in commemorationem eius, quam Christus adhibuit. Quando vero sacerdos dicit illa verba: Fregit, deditq; discipulis suis; nullam actionem eis correspondentem exercet: quia reuera actiones illis verbis significatae non fuerunt in ipso actu consecrationis à Christo exhibita, sed vel per anticipationem, vel per recapitulationem posita sunt: actio enim dandi, sine dubio fuit posterior consecratione: de actione vero frangendi dubia res est, an antecesserit, vel subsequuta fuerit de qua re satis supra diximus agentes de forma huius sacramenti. Quinto loco poni potest, quod Sacerdos brachia extendit post consecrationem in representationem crucifixionis Christi, vt meminit hic D. Thomas ad 5. sed haec caeremonia iam non est in vsu. Sexta & vna ex praecipuis caeremonijs, est fractio hostiae: de qua agit D. Tho. hic, arg. 7. & 8. in solutione ad 7. triplicem significationem huius fractionis adducit ex Dionysio: ex quo constat, caeremoniam hanc esse antiquissimam. Eiusdem fractionis meminit Chrysoth. Hom. 24. in 1. ad Corinth. explicans illa verba Pauli, Panis quem frangimus; & ex eo significatio sumi potest valde diuersa à prima, quam hic ponit D. Tho. dicens, illa fractio significari diuisionem corporis Christi, quae facta est in passione: quod intelligendum est, vel de diuisione animae & corporis: vel de diuisione corporis, quae facta est, flagellis, clauis, spinis, & lancea; quoad partes similes, sine oisium contractione: Chrysothomus vero ait, hac fractione significari, voluisse Christum in sacramento pati, quod in cruce passus non est, tamen, quia Christus in se reuera nihil patitur: quando hostia frangitur, dicere possumus, hac fractione significari, quod, sicut ipsa fit in speciebus corpore Christi manentem integro, ita licet caro eius exterior in passione diuisa fuerit, tamen ista eius

Oblatio.

Dicitur.

Dicitur.

Dicitur.

Dicitur.

SECTIO II.

Virum teneatur sacerdos, præcepto omnes Missæ ceremonias seruare, quæ in actione consistunt.

Hæc quaestio eadem proportione expedienda est, quæ similem tractauimus de ijs, quæ in Missa sunt dicenda, disputatione precedenti. Primo itaque certum est, latum esse ab Ecclesia præceptum seruandi ritum ab ipsa institutum in Missæ celebratione, non solum quoad verba, sed etiam quoad actiones. Nam Concilium Tridentinum dicto capitul. sessione 22. & Pius Quintus in Missali, de hoc etiam ritu discrete loquuntur: & rationes supra factæ non minus procedunt de actionibus, quam de verbis: scilicet, quia ita expedit, vt omnia ordinate fiant in tam graui ministerio, & vt superstitiones vitentur.

Secundo est certum, hoc præceptum dupliciter violari posse: sc. vel solum omitendo, vel etiam addendo nouos ritus & ceremonias, præter eas, quæ ab Ecclesia approbatae sunt: nam præceptum non tantum est affirmatiuum, sed etiam exclusiuum, vt sic dicam. Vnde Pius Quintus distinctè prohibet, addere, tam alias ceremonias, quàm alias preces: & Conc. Trident. similiter dicit, Ne ritus alios, aut alias ceremonias & preces, &c. & in specie prohibet ritum vtendi certo candelari numero, tanquam continentem aliquid efficaciar, vel mysterij. Vnde etiam sit hunc modum transgrediendi hanc legem per additionem nouorum rituum, esse ex se grauiorem, & maioribus periculis expositum, sicut dictum est de verbis, & propter eandem rationes.

Tertio dicendum est, hoc peccatum ex genere suo mortale esse: tamen ex leuitate materię, vel inaduerentia posse esse veniale. Probatur eadem ratione, quæ de verbis idem asseruimus. Et quidem, quando peccatur per additionem, si id reuera fiat, animo immutandi vel addendi nouum ritum, pertinentem ad nouum modum cultus vel adorationis, qui non est in vsu Ecclesiæ, vel ad specialem significationem mysticam ab Ecclesia non statutam, regulariter loquendo, semper erit peccatum graue, quia est materia grauis superstitionis, eo quod sit in publico & grauisimo ministerio Ecclesiastico: vnde ex se scandalum inducet. Si autem hoc non fiat animo inducendi nouum omnino ritum, sed ex peculiari deuotione aliquis faciat actionem aliquam: ex se bonam & religiosam, non tamen in ritu Missæ contentam, quamuis indiferece faciat, & venialiter etiam peccet (si ob aliquam ignorantiam non excusetur) tamen non peccabit mortaliter: quia sine dubio materia leuis est. Atque idem fere iudicium est de omissione: nam, si solum sit in aliqua re pertinente ad conuenientem modum agendi, regulariter non videtur mortale peccatum: si autem omisio sit alicuius ceremonię grauioris, continentisq; specialem significationem, materia erit grauis, vt, si quis omitteret mitionem, aquæ & vini, fractionem hostię, aut mitionem, vel signa omnia vel plura, quæ sunt super oblata, vel alia huiusmodi.

Scđum in hoc secundo genere peccandi per omissionem, inquiri potest, an propter impotentiam excusari possit à culpa talis omissionis, vt, v. g. si quis mitionem aquæ omittat, quia illam non habet, &c. In quo dicendum est, dupliciter hoc accidere posse: primo, vt impotentia præuisa sit ante inchoatam Missam: secundo, vt bona fide Missa incepta, postea vero eo tempore, quo facienda est cæremonia, cognoscatur impotentia. Quando cōtingit priori modo, regulariter loquendo, potius est omitenda Missa, quam cum tali defectu dicenda, nisi intercedat specialis dispensatio: quia actio, quæ non potest debito modo fieri, potius omitenda est, quam indubite exercenda: hoc autem moraliter est intelligen-

dam, considerata rei grauitate, & necessitate dicendi sacrum, seu incommodo, quod ex eius omissione consequi potest, & præsertim verum habet in his ceremonijs, quæ vel proxime ad substantialia accedunt, vt sunt mitionis aquæ, panis azymus, fractio sacramenti, & mitionis: vel si etiam sint adeo publicæ & solennes, vt sine scandalo omitri nõ possint, vel sint eleuatio sacramenti, dicere Missam stando, & non sedendo, vel similes. In his tamen, cum sint de iure positio, cadere posset dispensatio ex rationabili causa: & præcauendo, vt in illius vsu nullum sit scandalum: secus vero est in alijs, quæ substantialia sunt, vel ita proxima, vt iure diuino censentur necessaria, vt est consecratio vtriusque speciei, & consumptio: de quibus supra dictum est. At vero, si defectus seu impotentia non sit præuisa ante inchoatam Missam, potest ordinarie seruari regula, quæ ex D. Thom. art. sequenti ad secundum sumitur: quod si impotentia præuidetur post consecrationem, & absolendum est sacrificium, quia, cum sacrificium sit substantialiter inchoatum, non debet, propter accidentalem ritum, imperfectum dimitti. At vero, si antea cognoscatur, & cæremonia grauis sit, omitendum est sacrificium: quia, cum nondum sit substantialiter inchoatum, potius est omitendum, quam in debito modo faciendum: vt verbi gratia, si tempore oblationis calicis sacerdos intelligat, deesse aquam, & nõ possit expectare, donec afferatur, potius debet omittere, quam ulterius progredi, aut consecrare sine mitione aquæ: quia, iuxta ritum Ecclesiæ, illa censetur res valde grauis, si autem res esset leuior, prudenter pensandum est, quod videatur maius incommo- dum, aut ministerium inchoatum relinquere, aut cum illo defectu perficere, & si vnusquisq; in eo casu id faciat, quod magis expedire censuerit, non peccabit. Illud solum præ oculis habendum est, vt scandalum semper caueatur.

Supererat hic dicendum de ritu celebrandi cum vno vel multis ministris, quod hic D. Thomas tangit D. Thom. in solutione ad 12. de hoc autem dicemus commodius infra, speciali disputatione de obligationibus ministrorum. Quod vero D. Thomas attingit in solutione ad 11. de reservatione huius sacramenti: tractatum late est supra disputando de permanente presentia Christi in hoc sacramento, & de vi eius, atque ita explicata sunt omnia, quæ D. Thom. tangit in articulo.

ARTICVLVS VI.

Verum possit sufficienter occurrere defectibus circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ obseruando.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non possit sufficienter occurrere defectibus, qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiæ obseruando. Contingit enim quandoque, quod sacerdos ante consecrationem, vel post, moritur vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentum sumere possit, & Missam perficere. Ergo videtur, quod non possit impleri statutum Ecclesiæ, quo præcipitur, quod sacerdos consecrans suo sacrificio communique.

1. Præterea, Contingit quandoque, quod sacerdos ante consecrationem, vel post recolit, se aliquid comisisse vel distulisse, vel etiam alicui peccato mortali subiace, vel etiam excommunicationi: cuius prius memoriam non habeat: necess est ergo, quod ille, qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter, contra statutum Ecclesiæ faciens suæ sumat.

2. Præterea, Contingit quandoque, quod in calicem missæ vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem: vel etiam cognoscitur sacerdos, alicui venen-